

eat of most voraciously, and, for several Days after, she was very wild and ungovernable, which made me never afterwards try her with raw Flesh. I am apt likewise to believe, their ordinary Dens or Habitations are under Ground in sandy Banks, like our Rabbits; for when she was brought to the Fields, she would dig up the Sands with her Paws, with an incredible Swift-ness, so that had she not been chain'd, there had been no Possibility of recovering her.

GEORGE MACKENZIE.

II. *Imber Calculorum inter aquarum Pyrmontanarum usum, in Viro, nunquam antehac calculum experto, ac alias perfecte sano, subsequente postea mictu cruento, tandemque vesicæ ulcere. Communicante Viro Clarissimo Abrahamo Vatero, M. D. Anat. & Botan. Prof. Wittemb. R. S. S.*

**N**obilis Pomeranus, sanus ac vegetus, uti ipse de se refert, nulliusque mali sibi conscius, ante hos tres annos, suafu amici, conversationis causa, socium se ipsi adjunxit, in bibendis aquis medicatis *Pyrmontanis*. Factum autem est, ut, cum potando aliquot dies transgisset, calculos quosdam minores, absque ullo quidem dolore, excludi inter mingendum sentiret. Effectum hunc criticum esse sibi persuadens noster, aquas istas aucta dosi bibere incipit, quo facto, quatuor vel quinque

que dierum spatio, ultra quadraginta calculi, rursus tamen sine molestia, exierunt. Hoc viso, strenuè & alacriter potare continuat, optimum hujus curæ effectum sibi promittens. Assumpta vero ita nimia aquæ quantitate, urina supprimitur, adeo, ut ne minimam ejus portionem per tres dies emittere potuerit, usque dum catheteris ope via aperiretur. Commonefactus itaque à Medicis, ab usu aquarum ulteriori abstinuit, remita peractam esse credens. Non ita multo post, vir iste iter faciens, continuo mingendi conatu laceffitur, ac iterum iterumque ex rheda descendere cogitur, tandemque inter gravissimos dolores sanguinem purum effundit. Duravit miætus cruentus & dolorosus, quamdiu æger in itinere constitutus fuit, postquam vero hic, domum reversus, quieti studuit, statim cessavit, nec quicquam doloris remansit. Quoties vero ab illo tempore sive rheda, sive equo veheretur noster, rediit dolor, & sanguis cum urina secessit, sed quiete restituta, iterum evanuit, nullo planè dolore superstite. Contigit quidem interdum, ut calculus unus vel alter prodiret, rarius tamen hoc factum est, nec ullum ex eo dolorem percepit æger, quoniam hi longè minores, quam quos inter aquarum usum reddidit, fuerunt. Symptomate hoc admodum molesto per duos integros annos vexatur æger, tandem usu medicamentorum liberatus est. Cessante itaque penitus miætu cruento, nil magis timuit, sed integræ sanitati restitutus sibi visus, medicamentis valedixit. At, quid sit? Augetur post illud tempus indies Stranguria, virque continuo die nocteque ad urinam reddendam stimulatur, quo malo ipse ad hunc usque diem affligitur. Urina, quæ parcissima quantitate, summoque cum dolore emittitur, crassa exit, ob pituitam viscidam admixtam, quæ fundum statim petit, glutini ex farina confecto similis, tantæ tenacitatis, ut in fila quasi

quasi trahi queat. Ager interea appetitu bono gaudet, & somno quoque sufficienti utitur, nec ullibi præterea in corpore dolorem sentit.

*Consideratio Casus, ejusque circumstantiarum singularum.*

Si quis historiam morbi, quoad omnes ejus conditiones, accuratè perpendat, mecum consitebitur, eandem vix parem inter observationes Medicas agnoscere. Notatu dignissimum imprimis est, potu aquarum istarum mineralium, calculos fat insignes, in tanta copia, atque intra tam breve temporis spatium exclusos esse, a viro, uti ipse de se refert, ante aquarum usum perfectè sano, nec ullum calculi indicium unquam sentiente. Non levem hoc in animo excitare potest suspitionem, calculos non tam ab aquis propulso, quam ex croco minerali, qualem aquæ tales medicatæ in sinu gerunt, generatos potius in hoc ægro fuisse. Parum quidem huic sententiæ favere videtur tempus admodum breve tot calculorum concretioni vix idoneum, quoniam hi, paucos post dies ab inchoato aquarum potu, exclusi sunt. Non tamen existimo, quenquam facilè definire posse, quantum temporis spatium ad calculi in corpore generationem requiratur; poterit hoc forte esse exiguum. Longè enim minus veritati consentaneum videtur, calculos istos jam tum in viis urinariis latitasse, quoniam vir ille nunquam antehac urinæ difficultatem, aut aliud calculi signum percepit. Confirmant e contrario omnes hujus casus circumstantiæ, *concretionem istam subito factam esse.* Calculi enim ipsi nullatenus asperi atque angulosi, quales alias vesicæ calculi esse solent, ob successivam spiculorum salinorum cohæsiorem, sed pisorum majorum minorumque instar, rotundi, glabri, & polito observantur, quod coagulationem eorum su-

bitaneam docere videtur. Color eorum luteus convenit exactè cum sedimento illo, coctione ex aquis *Pyr-montanis* extracto, cujus minimam portionem ex quatuor uncis aquæ hujus paratam addere volui, ut tanto melius convenientia ista pateat. Fracti calculi strata ejusmodi variegata interius monstrant, qualia in topis thermarum Carolinarum deprehenduntur, quorum pariter particulam exiguam adjeci. Addidi propterea quoque calculos duos, cum aliquot frustulis contritorum, paucissimos enim tantum obtinui. Ultimo tandem loco attendi quoque meretur singularis ista circumstantia, quod maxima horum calculorum pars inter ipsum aquarum usum exclusa sit, post illud tempus vero rarissimè tales, iique longe minores prodierint. Non tamen ideo culpa hujus rei in aquas istas medicatas conjicienda erit, quasi hæ ad calculi generationem disponant, cum potius debilitati viscerum, ac pravæ digestionis adscribi debeat effectus ille extraordinarius. Nolo etiam levissimas has meditationes atque conjecturas pro veritate indubitata venditare, rem totam potius Illustrissimæ Societati Regali decidendam, ea, qua erga ipsam sum, pietate ac observantia trado.

*Dabam* Wittembergæ Saxonum,  
d. vi. Jan. MDCXXIII.